

# Electa epistolica

Autor(en): **Spizelius, Theophilus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1749)**

Heft 13

PDF erstellt am: **25.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394643>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

(\*) ELECTA EPISTOLICA.

I.

*Excellentissime atque famigeratissime Vir, Fautor  
æstimatissime.*

**E**A est nominis tui apud me reverentia, ut diutius differre non audeam responsum ad literas, quas cum gratissimis appendicibus ferus vesper heri advexit. Jucunda nonnulla meo sic obvenere obtutui, quædam vero, ut ingenue quod res est enunciem, non satis sese conspectui meo probavere, Epistolas *Stenonis* intelligo, quem *Virum* levitatis (in rebus sc. fidei) stigmatate ipse *Illustr. Magliabecius* notare non dubitavit. Quandoquidem vero nostrarum partium sit, novis adversantium ubique occurrere conatibus, illorum munitiones explorare, arma examinare, cunctasque expendere vires, hinc beneficii cujusdam insignioris loco ducerem, epistolarum illarum concessionem, si etiam cum pace & venia *Excell. V. Dogmatisten Norisianum* cum excerptis literarum *Magliabecianarum* ad amicissimum meum

(\*) Excerpta hæc sunt diligentia ac fide summa ex ipsis *απολογέοις*, quæ pro suo in literas promovendas studio, ac singulari erga nos benevolentia nobiscum communicavit *Vir plurimum Reverendus atque eruditissimus JAC. BRUCKERUS* apud *Augustanos Ecclesiastes præclarissimos*.  
J. J. B.

um *Reiserum* ablegare possem, non verbis solum, sed re & opere ipso deinceps darem gratitudinis debitæ documenta. Facile equidem, Vir Maxime, ea impetrabis a me, quæ si voles imperare qq. tuo jure posses. Qui publicis illustribusque adeo meritis Remp. literariam sibi obstrinxit, inter singulos me quoque debendi habet reum. Utinam ea mihi nunc in promptu essent vitæ Trajanianæ monumenta, quæ de mea in inserviando promptitudine Exc. V. reddere possent certiolem! Mineravam docere & noctuam Athenas deportare haud vellem libenter: Non latebit Te Vir Celeberrime plerosque ævi recentioris Historicos sua de Trajano narrata ex Dione hausisse, qui plurimam etiam belli Dacici, alteraque vice devicti Decebali, nec non direptionis thesaurorum ejus (in flumine Sargetiano defossorum) fecit mentionem. Dacicum hinc dictum fuisse Trajanum, præter Dionem Scriptores alii testantur, ejusdemque tituli *Juvenal.* Sat. VI. meminit:

*DACICUS & scripto radiat Germanicus auro.*

Sed & ejusdem appellationis, bellique Dacici clarissima vestigia in numis Trajani occurrunt, quorum unum cum ipse possideam, haud abs re cum Exc. V. duxi communicandum: Plures istam appellationem referentes numos non minus Occonianus apparatus, quam insigne Caroli Duc. Croyjaci opus nummarium (cujus copiam lubentissime facerem) subministrabit. Trajani Adrianique vitas ex Dione cum rarioribus (ni fallor) observationibus, quondam *Georgius Merula* edidit, deque pontis ejus jussu constructi Inscriptione Epistolam memorabilem *Ambrosius Moralis*, quæ  
Tom.

Tom. II. Hispaniæ illustratæ est inserta. Verum nec hujus nec illius opusculi copiam huc usque oculis meis usurpare potui. Panegyricum Trajano dictum a *Plinio* II. inque Frobeniana Panegyricorum collectione etiam comparentem lubens prætereo, siquidem pridem a Te Vir Exc. visum lectumque existimem. *Zamoscii Antiquitates Dacicas* vidi nunquam, nec *Georgii Reichersdorffii* Descriptionem Transylvaniæ ac Moldaviæ. Colon. 1595. fol. min. editam, neque *Joh. Jacobini* Histor. Transylv. *Levinum Hulsum*, non inelegantem earundem vicinarumque regionum delineationem edidisse compertum habeo, forsitan horum aliorumque ejusdem farinae scriptorum copiam publica nostra Bibliotheca administrabit. Cæterum vitam & res gestas Trajani investigantem quadantenus juvabit *S. Aurelii Victoris* historia, notis *Andr. Schotti* illustrata, Antw. 1579. edita, quam pridem mutis meis contubernalibus associavi, nec contemnenda habet de Trajano noster in Theatro suo *Matthias*, inque magno & selecto Chronico reformatæ Chronologiæ annexo doctissimus *Riccio-lus*, denique in morali Chronico *Balduinus Junius*, quod Colon. 1621. prodiit. Omnium sive dictorum sive factorum Trajani memorabilium indicem, Theatrum vitæ humanæ, *Beyrlingii* cura locupletatum exhibebit. Quod si igitur Vir famigeratissime operam meam sive in hoc sive in alio negotio utilem judicaveris, eam promptissime collocabo. Et cum in parandis ad *felicem* meum *Literatum* paralipomenis, conquirendisque felicitum pariter ac infelicitum Literatorum exemplis & documentis antehac invito silentio prætermisissis, nunc occuper, etiam atque etiam rogo, ut quorundam

dam Tibi perspectorum indicium facere, meosque forsitan non profus inutilis conatus juvare pro virili non intermittas. Utinam omnes literati orbis incolæ, infelicium Doctorum exemplis periculisque edocti, cum primis autem gratiæ cœlestis luce collustrati saperent & intelligerent, velut ex gravi somno expergefacti respicerent, agnitaque profanæ vanæque doctrinæ vanitate (ad magni Basilii exemplum) assidue meditentur in pietatis veræ sinceræque dogmata introductionem. Deum sic ipsum traherent ad sese, ejusque clementia ac benignitate felicitatis supremæ apicem rectissime attingerent. Quo ipso felicitatis exoptatissimæ caractere cum præ multis aliis Te quoque Vir Celebr. putem conspicuum, Deum T. O. M. assiduis compellabo precibus, ut omnigenæ prosperitatis scatebra Te magis magisque recreare, longaque incolumitate (post superatos adversæ valetudinis conflictus) beare velit.

Excell. & Celeberrimi Tui Nominis

Augustæ Vind. III. Kal. Aug.  
1676.

observantissimus

*Theophilus Spizelius*

P. S. De fabula ereptæ ex inferno animæ Trajanianæ quædam adjecissem, si figmenta talia ad institutum tuum aliquid facere credidissem.

Inscripta Viro Nobiliss. Ampliss. atque Excell. Dño. GEORGIO HIERON. WELSCHIO, Medico & Philologo incomparabili.

II.

Idem ad eundem.

Salutem & omnigenam a Jesu prosperitatem!

*Excellentissime atque famigeratissime Vir.*

PLurimum sinceræ voluptatis luce hesternam tum suave alloquium Velschianum, tum illustre favoris Magliabeciani documentum ex laboribus concatenatis fesso conciliavit, utinam non verbis solum, sed re & opere ipso utrique vestrum ostendere possem animi gratissimi characterem, Tibi præsertim Virorum Maxime, cujus erga me immerentem favor alterius inopinatam benevolentiam, tot elegantibus monumentis demonstratam exhibitamque provocavit. Operam deinceps navabo strenuam, ut de affectu reciproco Tuæ Excell. magis magisque constare possit. Nunc intra vota & pia subsisto desideria, ut ter maximum Numen tantum Virum orbis eruditi emolumento nostræque Civitatis ornamento servare diutius, & post tot tantasque corporis afflictiones pristinae restituere velit incolumitati. Tantum equidem abest, ut ob graviores istas depravatæ sanitatis tempestates Te LITERATORUM INFELICIUM albo credam inferendum, ut potius in ipsa infelicitate illa felicem satis atque beatum existimem. Licet non unus, non duo, sed plures morbi Tibi insidiantur, nec tam labefactando corpus, quam plane absumendo misere infestent; licet tugurioli istius coagmentatio vehementiori quapiam impulsione frangatur, infinitæque ægritudines occupatæ

tas a se corporis partes exerceant ; nihil tamen inde imperturbatæ animi Tui nobilissimi tranquillitati decedet , siquidem ille funestis cupiditatum & perturbationum angoribus liberatus instar heliotropii cujusdam ad Solem h. e. Deum ipsum obvertatur , originisque suæ memor eo continue tendat. Tantum bonum ( præeunte ipso Seneca ) virtutem reputas , ut minutiores istas accessiones afflictionesque vix sentias , brevitatem scil. ævi , & dolorem , & corporis varias offensiones. In corpore prostrato erectam semper habes mentem , membrisque distractis , nobili illa affectuum gaudes compositione. ANIMUM nimirum statuisti excolendum nullis non virtutis pietatisque exercitiis , ipsique adeo conversationi spirituum sanctiorum in cælis præparandum. Et cum Tibi sine dubio ad animum millies jam revocaveris vitæ literato-tumultuosæ genium , curarumque & calamitatum a doctis devorandarum concatenatam seriem tibi posueris ob oculos , etiam atque etiam in posterum cogitabis , qua ratione molestissimi illi doctrinæ multivariæ labyrinthi , saxa sisyphæa & plusquam Tantaleæ illusiones per Salvatoris saluberrimam de UNO necessario regulam evitari , imo felicissime emendari queant. A rebus non omnino necessariis exeundo , serium ad Deum meditaberis accessum , eoque ipso diu multumque desideratæ quietis captabis adeptionem. In novissimo meo opere ( quod sub *felicis Literati* titulo prodiit ) illustribus aliquot summe-doctorum ævi sequioris virorum exemplis , utpote *Rod. Agricola* , *Jo. Pici Mirandulani* , *Jani Gruteri* , *Fr. Bac. Verulamii* , *Casp. Barthii* , *Gerh. Jo. Vossii* , *Jo. Am. Comenii* , *Matth. Berneggeri* , *Job. Freinsheimii* , Thom. Bartho

Bartholini, ostendi, qua ratione post diu multumque navatam operam literariam, supremæ Scientiæ Thesauri tandem aliquando sint investigandi, donec vitæ cursu finito, non tam finiri mortalitas, quam beata æternitas feliciter inchoari possit. Eadem felicitas Tibi procul dubio, Vir universi orbis literati calculo summe & incomparabilis, obtinget, si pari studio ac diligentia cogitare pergas: qua ratione ad veram supremamque Sapientiam sit properandum, cumque ipsa temporis rapiditate ita decertandum, ut pulcherrimus fructus susceptum divina ope laborem excipere queat. Nobile sic Vitæ Celeb. in ipsa infelicitate Tua corporali FELICIS ex animo LITERATI documentum dabis; laudatorum Virorum Summæ, & doctorum & beatorum accedes Syllabo, (siquidem meritis in Remp. literariam iisdem haud sis inferior), quinimo elogium tuum olim vel mihi vel alii scripturo, amplissimum & nobilissimum Te commendandi argumentum subministrabis, quodque præcipuum perpetua & sempiterna gaudebis prosperitate. Deum, inquam, ipsum sic trahes ad Te, ejusque clementia ac benignitate felicitatis haud perituræ apicem attinges. Vale Vir summe & literariam hanc compellationem tribue pectori

Amplissimi & celebratissimi Nominis Tui

Aug. e Mus. d. 15. Octobr.  
1676.

observantissimo

*Theophilus Spizelius.*

P. S. In eo falleris, Vir Excell. quod Te mihi Boscæ de Serpente æneo dissertationem transmissi.  
Tom. IV. I fide



ſiſſe ſcribis , eam enim oculis hucusque neutiquam uſurpavi.

Si in promptu non ſit pii mei Seceſſus exemplar ( antehac ni fallor tranſmiſſum ) faxo ut illud ocyus recipias. Charitas , qua intime Te complector , me ita jubet eſſe ſollicitum. Quid obſecro Tibi , utpote Viro doctrinæ opibus onuſtiſſimo contingere poſſet felicius , quodnam plenis tuis laudibus illuſtrius accedere elogium , quam quod ſupremam illam literati hominis felicitatem ſis conſecutus.

### III.

Idem ad eundem.

Quas pro tranſmiſſa Diſſertationum Medico Philoſophicarum biga exquisitiſſima Tibi debeo gratias , eas reddidiſſem citius , niſi de qualicunque redhoſtimento apprime ſollicitus , æque duarum lucubratiuncularum copiam una Tibi facere , adeoque ad earundem editionem uſque , amicam hanc compellationem literariam differre maluiffem ; quod ſi vero iſta mea meletemata Tibi , pariter ac Tua mihi , grata acceptave fuiſſe percepero , votorum meorum ſummam facile ero conſecutus , ac ſimul ad omnia officiorum genera Tibi exhibenda promptus atque paratus. Quo magis autem de eo Exc. T. conſtare poſſit , en ! deſideratam exhibeo Operis Anglicano-Biblici editionem , non quod deſcribendi ſubterfugerim laborem , verum ipſa operis communicatione rem gratiorem Tuæ Excell. me facturum reputaverim. Quantum equidem lucis ſacro illo Numerorum loco dili-

diligens Versionum & paraphrasium (quarum tres  
 peculiare in Tomo altero sunt exhibitæ) orienta-  
 lium collatio conciliare queat, ipsa Te Vir cele-  
 berrime *αυτοψία* non sine voluptate singulari edo-  
 cebit. Mirabar profecto maximopere Sciorum  
 illorum (quorum mentionem fecisti) temerita-  
 tem, qua radiantem Textus Mosaici veritatem  
 malefidæ rationis tenebris obscurare, ipsiusque  
 adeo miraculi evidentem claritatem una eademque  
 opera impugnare nequiquam addubitarunt. Ea-  
 que propter satis laudare æstimareque nequeo  
 Tuum V. Exc. in vindicanda sacri Textus genuina  
 explicatione studium, utque id ipsum mea quali  
 quali opera juvari queat, sollicitè cogitabo. Ac  
 licet nullam portentosæ illius opinionis (scil. quod  
 Serpentes populo Israelitico in deserto infesti, non  
 vera fuerint animalia, sed morbi cuiusdam præ-  
 se tulerint speciem) tecum communicaveris rati-  
 onem, existimo tamen Medicos sententiæ hujus  
 assertores, pro ea stabilienda hanc præcipue attu-  
 lisse, quod Serpentes ab irato Numine immissi  
 diserte in textu vocentur IGNITI, adeoque na-  
 turales haudquaquam nuncupari juxta eos possint.  
 Sed observarunt doctissimi Interpretes Ebræi pari-  
 ter ac Christiani, non tam a causa quam ipso ef-  
 fectu Serpentes illos *ignitos* fuisse appellatos, eo  
 quod morfu suo tantum calorem induxerint, ut  
 morfi ab eis veluti concremati apparuerint. Hinc  
 R. David Kimchi in Libro Schoraschim: נקראו  
 הם בן לפי שהן שורפין בהבל פיהם. *Vocantur sic* (scri-  
 bit) *quia urunt balitu oris sui.* Et in Bemidbar rabba  
 שורפים vocantur: ששורפים את הנפש, quia com-  
 burunt animam. Quia contra Deum (ita in ve-  
 tustiss. Zohar Libri Numeror. fol. 88. col. 1. no-

tanter legitur) & Mosen murmurarunt ex æquo, ideo immisit in eos SERPENTES COMBUREN-  
 TES eos instar ignis, igne ingrediente in os ipso-  
 rum, ut conciderent & morerentur. R. Chiiah  
 dixit, Serpentes veniebant מלחשן בפומיהו, mor-  
 debant eos & moriebantur. Quid est מלחשן?  
*Ardentes, candentes*, ut Eccles. X: 11. *Num  
 mordet serpens sine inflammatione?* Nempe ignem ac-  
 censum habebant in ore suo, & mordentes eiacu-  
 labantur in eos ignem, ut viscera eorum combu-  
 rentur & morerentur. Hactenus ex Zohar. Quor-  
 sum etiam plerique interpretes orientales in opere  
 Waltoniano collimasse videntur, dum istos Ser-  
 pentes suo quilibet idiomate URENTES appella-  
 vere, magis tamen pro stabilienda animalis natu-  
 ræ, Serpentibus istis propriæ, veritate ac de-  
 monstranda Sententiæ a Te oppugnandæ falsitate  
 facere videbitur Syriaca interpretatio antiquissima,  
 quæ Serpentes justo Dei iudicio Israelitas morden-  
 tes, IMMANES, h. e. animalia quantitate maxi-  
 ma, nuncupavit. Neque tamen eorum Sententi-  
 am existimo improbandam esse, qui *Sorephim*  
 peculiarem Serpentum Speciem esse crediderunt,  
 eandem scil. cum *Dipsade*, de qua SOLINUS  
 c. XL. scribit, quod siti interficiat: Sic ipse vi-  
 detur sumsisse Onkelos, chaldaice reddens,  
 חיון קלן & R. Salomon: ששופפים את הארס  
 : שיניהם *qui urunt hominem veneno suorum dentium.*  
 Sic etiam R. Bechai: Suffecisset (ita verba ejus la-  
 tine sonant) si dixisset, הנחשים, *Serpentes*; addi-  
 dit autem את השפים, quod legi potest vel  
*Sorephim, combusti*, vel *Seriphim, comburentes*. Qua-  
 tenus scil. hucusque Nubes eos combufferat, ne  
 nocerent Israelitis, fuerunt *Seriphim*; posteaquam  
 Israe-

Israelitæ peccarunt, & in eos immiffi funt, fuerunt Sorephim, comburentes. Quos etiam novit PLINIUS atque *Prefteres* vocavit, vocabulo græce idem quod hebr. *Sorephim* fonante. Et LUCANUS Lib. IX. a Preftere vulneratum descripsit ad hunc modum :

*Nafidium Marfi cultorem torridus agri  
Percuffit PRESTER, illi rubor igneus ora  
Succendit, tenditque cutem, pereunte figura,  
Miscens cuncta tumor, toto jam corpore major :  
Humanumque egressa modum super omnia membra  
Efflatur sanies late tollente veneno ;  
Ipse latet penitus congesto corpore mersus,  
Nec lorica tenet distenti corporis auctum.  
Sputneus accenso non sic exundat abeno  
Undarum cumulus : nec tantos carbasa coro  
Curvavere finus : tumidos jam non capit artus.  
Informis globus, & confuso pondere truncus.  
Intactum volucrum rostris, epulasque daturum  
Haud impune feris, non ausi tradere busto,  
Nondum stante modo crescens fugere cadaver.*

Atque hujusmodi Serpentes Deum ex ipso Arabiae deserto suscitasse, perque eosdem plagam lethalem populo suo contumaci immisisse, qua ratione aliquis inficiabitur ? Cur obsecro S. Textui fidem derogaret Medicus, si ipsum DIOSCORIDEM (in Libri ultimi fine) mentionem fecisse inveniat *Dipsadis* Serpentis venenatissimi, sic dicti a siti, quam creat morfu extremam, illumque alio nomine (juxta eundem) *καύσον* & *πρηνήγα*, eo quod morfu urat & incendat dictum fuisse, & teste AELIANO Lib. VI. *Hist. Anim.* cap. 50. pridem his aliisque nominibus appellatum fuisse sibi ad ani-

mum revocet. Taceo Historicos, quorum pluri-  
 mi Serpentes sive Dracones ignitos aliquando vi-  
 fos esse, h. e. *qui ignem vomerent*, tradiderunt.  
 Unicum duntaxat ex *LESSÆI Scotia* affero docu-  
 mentum, ille etenim an. Dom. 1558. apud Mar-  
 chiam & Landoniam Draconem quendam tantos  
 ignes vomuisse tradidit, ut iis segetes & fruges  
 incenderet, quocirca colonos pervigilare debuisse,  
 ut eos assidue extinguerent. Etsi vero ad hanc  
 Speciem Serpentes istos Israelitis immisos restrin-  
 gere haud quaquam velim, nec certam quandam  
 determinare aliam (præsertim cum Author Libri  
 Sapientiæ cap. XVI: 10. *Venenatos DRACONES*  
 illos dixerit; Interpres vero Persicus *Serpentes vipe-  
 ras*: Jonathan Ben Uziel *Serpentes Regulos* seu Basi-  
 liscos, conf. Jerem. VIII. 17.) ex omnium ta-  
 men Interpretum collatione, ipsaque Textus ori-  
 ginalis veritate liquido constare existimo, Serpen-  
 tes igneos vera Animalia, non morbum duntaxat  
 quempiam fuisse. Plura pro hac Sententia confir-  
 manda lubens attulissem argumenta, ni eorum  
 aciem a T. Excell. jamjam instructam esse intelle-  
 xissem. Trium duntaxat præstantissimorum Rab-  
 binorum de illis Serpentibus judicia, *אַנְגֵּבֶסֶאִילֶוּ*  
 Tuo duxi subjicienda. Primum *Is. Abarbenelis* esto,  
 in Comment. ad Num. XXI. scribentis hoc sensu:  
 „ Quia non murmurarunt ob penuriam panis &  
 „ aquæ, sed sine causa locuti sunt contra Deum  
 „ & Moſen *לְרוּעַ נַפְשָׁם*, ex sola malitia animæ  
 „ suæ, contemnentes cibum omnium præstan-  
 „ tissimum, nempe Manna, & sic lingua mala  
 „ h. e. calumnia & obrectatione peccaverunt;  
 „ ideo æquales hac in parte facti sunt Serpenti:  
 „ *הַמּוֹיֵק לְלֹא תוֹעֵלֶת לְעֵצְמוֹ אֵלֶּא לְרוּעַ מוֹגוֹ*.  
 „ qui

„ qui nocet & lædit sine ulla sua utilitate, ob  
 „ solam malitiam naturæ suæ, sicut Rabbini no-  
 „ stri dicunt; reliqua animalia rapacia omnia no-  
 „ cere & lædere prædæ & victus sui comparandi  
 „ causa; Serpentem autem sine ulla causa, vel  
 „ commodo suo. Quia itaque Israelitæ Lingua  
 „ sua mala imitati sunt *Serpentes*, immisit in eos  
 „ *Serpentes urentes*, qui ore suo eos momorderunt,  
 „ sicut ipsi momorderunt lingua sua. Ita Abar-  
 „ benel. Et in eundem fere sensum locum illum R.  
 „ Levi ben Gerson explicavit. Alterum Rabbi  
 „ sc. Isaaci Aramah iudicium est tale: „ Quia Man-  
 „ na non contenti, naturalem & ordinarium pa-  
 „ nem appetiverunt; propterea iudicavit eos De-  
 „ us O. M. juxta hanc ipsorum viam. Dixit  
 „ nempe: Quia non desideratis vivere nisi modo  
 „ naturali, etiam ego hoc vobis faciam, & per-  
 „ mittam *Serpentes*, qui sunt in Deserto isto magno,  
 „ *Natura* suæ, neque in posterum occludam os  
 „ eorum, ne vobis noceant, sicut huc usque  
 „ feci. „ Tertia denique R. Judan Sententia in  
 „ Bemidbar rabba & Tanchuma reperitur his verbis:  
 „ Illos *Serpentes*, quos nubes antea combusse-  
 „ rat, & ex quibus sepem circa castra eorum fe-  
 „ cerat, ad nota facienda illis miracula ipsis facta;  
 „ illos, inquam, eosdem *Serpentes* nunc immi-  
 „ sit in eos, „ Verum hæc, (uti antea scripsi,)   
 „ meletemata Rabbinica accuratiori tuæ disquisitio-  
 „ ni committens, Te Vir Excellentissime, singula-  
 „ ri Rei medicæ emolumento, nostræque Patriæ  
 „ ornamento vivere, valere, vigereque jubeo quam  
 „ diutissime.

Excell. & Claritud. Tuæ.

Dabam e Museo

observantissimus

Id Febr. MDCLXVIII.

*Theophilus Spizelius.*

IV.

Excerpta ex Literis Viri Clar. J. JAC. SCHUDT  
ad pl. Rever. Virum ANDR. HARDERUM,  
apud Augustanos Pastorem Evangelicum.

I. **S**partam doctiff. Filii Tibi gratulor, cujus eru-  
ditiffimam Differtationem de Pædobaptismo  
non sine delectatione perlegi, - - conjunxit raro  
inter Theologos exemplo cum rebus factis stilum  
purum elegantemque: Materia Differtationis no-  
bilis est, & nostra ætate ob turbas pietisticas ne-  
cessaria. Si Tua pace aliquid addere liceat, soleo  
ego Pietistis, Pædobaptismum ex eo, quia nec  
expressum de infantibus baptizandis mandatum,  
nec exemplum in S. Scriptura occurrit, impu-  
gnantibus objicere, quod nec expressum manda-  
tum nec exemplum produci queat, fœminas Sa-  
cramento Cœnæ esse adhibendas, vel fuisse adhi-  
bitas, quas ob id a S. his epulis excludendas esse,  
nemini Pietistarum huc usque in mentem venit.  
Ad. p. 32. ubi *omni creaturæ* Evangelium prædican-  
dum esse ex Marc. XVI. & Coloss. I. urgetur; ob-  
servo ex Philologia, quod Creaturæ ibi per Ebra-  
ismum notent creaturarum nobiliffimam, homi-  
nem, cum Hebræis nihil sit tritius, quam homi-  
nes simpliciter בריות vocare, in Trifol. meo p.  
399. allegatur locus ex Raschi in Gen. IV: 16.  
והבריות אומרים סורו מעליי . & *homines (creaturæ)*  
*dicunt, recedite ab ipso.* & p. 517. שמים dici  
שהבריות משתוממים עליהן . *quod homines obstupe-*  
*scant ob illos*, ex Beresch. Rab. Recte eruditus Fili-  
us p. 39. urget sensum verbi μαθητεύσατε, quod  
non est *lehren*, sed *discipulos facere* cum accusativo:  
Cum

Cum Dativo vero constructum, ut Matth. XXVII: 57. est, esse alicujus discipulum: hoc observato docui in Deliciis meis Philol. p. 209. inverti contra Anabaptistas tormentum, Christus enim doctrinam Baptismo postposuit. 1.) Est Thesis generalis *μαθητεύσατε*, *macht zu Lernjüngern*, *convertite*, ut Notæ Belg. Macket tho Discipeln alle vœlcker: & Jer. Felbinger Socin. in Versione N. T. *Macht zu Lebrijüngern alle die Völker*. 2.) Sequitur jam modus eas convertendi, *tauffet sie ꝛc. deinde doctrina, und lehret sie halten alles ꝛc.* Ex Litteris d. 12. April. 1708. datis.

2. EISENMENGERI opus contra Judæos perlegi, possidet Dn. D. *Arcularius* noster exemplar; sed latent cætera in carcere ex mandato Cæsaris; Judæique omnem movent lapidem, nec ullis Viennæ parcunt sumtibus ut supprimatur, foventque Jesuitæ, procul dubio auro conciliati, illorum conatus, persuadentes defuncto Cæsari glor. mem. multa blasphema contineri in illo libro contra Sanctos fidemque catholicam, quorum lectione scandalum præbeatur lectoribus: Ipsi vero Judæi caussantur turbas, quas plebs Christianorum lecto libro excitatura sit; obicem vero se posituros operi minime fuisse, si Lingua latina, vulgo ignota, scriptum fuisset. Ex iisdem Litteris.

3. B. noster *Diefenbachius* initio mensis Julii obiit, cujus *Judæus conversus*, tanquam altera pars *Judæi convertendi*, his nundinis post ejus fata prodiit; Opus curiosum & raris observationibus insigne. - - - *Diefenbachius in Judæo conv.* multa



ex *Eisenmengeri Judaismo detecto*, qui Liber adhuc in carcere latet, hausit, hujusque quasi compendium exhibuit. *Ex Litteris d. 23. Septembr. 1709. exaratis.*

4. De *Franc. Ravailaco* quod scribis, nunquam fando audivi, quicquam ipsi commercii fuisse cum Jesuitis: Bonus ille Vir, qui Jesuitarum commilitonem eum appellavit, confudit eum cum *Job. Châtelet*, qui an. 1594. Regem *Henr. IV.* occisurus, dum jugulum cultro ferire conatur, os Regis, errante ictu, faucians dentem excussit: unde *Theod. Beza* postea ad *Henricum* dixit: *Hactenus Tua Maj. ore tantum abnegavit veritatem fidei nostræ, unde nonnisi os feriit percussor; vereor autem, ne cor ipsum, si eo quoque veritatem abnegaveris, aliquando feriat.* Is *Chateletius* seu *Castellus Jesuitarum* fuit alumnus, ab iis ad facinus stimulatus; unde *Jesuitæ Gallia* pulsi, & statua, hujus rei perpetuum documentum, erecta, postea vero *Henricus Jesuitarum aliorumque precibus fatigatus*, eos in *Galliam*, infami columna diruta, revocavit, ne tamen omnis rei ex animis hominum deleteretur memoria, adhuc hodie *Jesuitæ per Galliam pileolis utuntur triangularibus*, cum alibi quatuor angulos illorum habeant pilei. Quid *Ravailacum* ad pessimum facinus stimulaverit, non adeo certum: Sed accipe, *Vir Reverende*, quod ex homine Gallo, *Viro doctissimo didici*, Parentem & fratrem *Ravailaci*, cum e *Gallia in exilium ejicerentur*, *Hagæ Comitum Oratori Gallico*, ibidem tum commoranti hanc facinoris aperuisse causam; *Henricum Regem*, ut in libidinem erat projectus, cum iter  
per

per locum illum , ubi Ravailiaci morabatur familia , faceret , vim intulisse Sorori hujus Ravailiaci , & ex stupro illo conceptum esse filiolum , hunc postea Henrico , post paucos annos illac transeunti , a matre paupercula oblatum fuisse , addita supplici prece , ut de alimentis filiolo , ex se suscepto , prospiceret , huic Regem respondisse , ut in seria & jocos artifex erat ; tot sibi esse filios , ut illis alendis sumtus regni non sufficerent : Hanc injuriam tam male habuisse fratrem puellæ *Franc. Ravailacum* , ut ab illo tempore ingentem contra Regem iram conceperit & nefanda cæde Regis libidinem ultum iverit. Quicquid hujus est , Jesuitas non facile quis ut cædis autores conscios convincet. *Ex iisdem Litteris.*

5. *EISENMENGERI* *Judaismus detectus* , tamdiu vinculis , a malitia & pecunia Judaica injectis , prohibitus , tandem in lucem prodiit , adjutus auspiciis ac privilegio munitus Sereniss. Borussiae Regis , & apud nos quinque florenis prostat ; opus auro præstantius atque carius. *Ex Epistola die 13. Jan. 1712. data.*

6. Intellexi ex literis tuis *Libri mei* (*Curiositates Judaicas* innuit) lectionem apud vos nonnullos animorum dedisse motus , inter Christianos æque ac Judæos , eos ut paulo fusius mihi exponas , cum scribere Tibi commodum fuerit & occasio permiserit , oro rogoque. Miror apud vos tot tantosque esse Judæorum patronos ; sed reor , abiisse iterum Judæos cum Comitibus Ratisbonam , urbemque vestram hoc onere Judaico plane esse liberatam , nec apud vos Judæos tolerari. Sunt  
&

& hic nonnulli qui murmurant & animum ac calamum meum intrepidum criminantur, quos ego rideo; id vero miror, non paucos Judæorum librum sibi comparasse legisseque: plus quam DC. exemplaria jam distracta, quorum unum in manus Illustriss. Principis Mauritiæ Wilhelmi Ducis Saxon. cui sedes Cizæ est, pervenit, quod ille non sine delectatione perlegit; quod literis suis mihi retulit Dn. *Christ. Grundmannus* Pastor illius regionis eruditus. Nulla mihi ob librum lis mota est, nec a Christianis, nec a Judæis: jam mense novembri cum vix lucem liber aspexisset, Comes Georgius Wurmbandius Consiliarius Imper. aulicus exemplar sibi mittendum Viennam curavit. Si Deo vitam viresque prorogare libuerit, futuris nundinis autumnalibus IV. Partem prelo subjiciam, continuationem harum Curiositatum, cum multas jam denuo collegerim curiosas rarasque observationes, spesque sit communicandi mecum itinerarium Msc. amici ac Collegæ mei, quo multa singularia, neminique nota continentur, ex privatis colloquiis cum *Spethio*, *Oligero Pauli*, aliisque hujus furfuris hominibus hausta. *Ex Literis die 15. Maii 1715. scriptis.*

V.

Excerpta ex Literis JOH. MICH. LANGII,  
Profess. quondam Altdorfini, postea exaucto-  
rati, ad eundem A. HARDERUM.

I. DE quæstione quam placuit movere, aliquid  
tribus verbis monendum. Locuti eramus  
de *Verbo essentiali* (*vom wesentlichen Worte* Got-  
tes)

tes) cui tribueram soli omnes effectus vere supernaturales. Oriebatur inde Quæstio: Quidnam intelligam per hoc Dei Verbum essentiale? Respondeo, ipsum Dei Verbum in Scripturis comprehensum, quatenus est potentia Dei ad Salutem omni credenti, Rom. 1: 16. Spiritus & Vita, Joh. VI: 63. & quæ alia sunt elogia Verbo divino competentia. Instas: Si hoc; cuinam ergo hoc Verbum essentiale contradistinguis? Respondeo, Conceptibus Theologiæ cerebrinæ, quæ est, ut *Spenerus* appellat, Philosophia mera de rebus Theologicis. Ortum habuit hæc Theologia non ex Verbo Dei scripto, quatenus est vivum & efficax Verbum Divinum, sed quatenus est perspicue in Lingua Ebræa & Græca propositum, quam perspicuitatem Scriptura habet communem cum omnibus aliis libris sanioribus. Hinc qui novit Linguas originales & reliquis naturæ & artis subsidiis hermeneuticis est instructus, virtute plane naturali potest exsculperè Sensum naturalem & Grammaticum per naturam Linguarum, neque opus habet ad hanc perceptionem pœnitentiæ, precibus aut peculiari gratia Spiritus S. Hæc notitia naturalis & mere cerebrina est illa famosa nostra Orthodoxia, quæ plane straminea est, neque Verbum Dei vivum & efficax meretur dici, sed sunt conceptus aliqui humani, forte etiam Logica veritate præditi, & ita Dei Verbum referentes, quemadmodum accurata Mappa Geographica v. gr. exacte regnum Galliarum sistit, ita ut qui illam mappam habet, recte dicatur exacte Regnum Galliarum habere. Sed qualemnam habet Galliam? certe chartaceam, pictam, non realem, vel essentialem. Hinc quæ prædicata competunt

Regno

Regno Galliarum vero , reali & essentiali , nullo modo cadere possunt in illam chartaceam geographicas ad regulas effectam Galliam. Idem de Theologia illa conceptuali viribus naturæ & artis parabili sentio. Est Dei Verbum , ut Mappa geographica v. g. Regnum Galliæ est ; sed vivum , verum sive reale , & hoc sensu essentiali Dei Verbum non est. Hoc enim est mera Dei potentia , quæ non generat conceptum de fide , sed ipsam fidem vivam , quæ est ὑπόστασις τῶν ἐλπίζομένων ; idemque iudicium fero de reliquis effectibus divinis & salutaribus omnibus. Orthodoxia naturaliter parabilis , dat , si feliciter cedit , veritates logicas h. e. conceptus cerebrinos de poenitentia , regeneratione , justificatione , sanctificatione , precibus , solatio divino , gaudio spirituali. &c. Sed Verbum Divinum efficax (quod non aliter quam per abnegationis , simplicitatis , amoris & ardoris studium a cordibus contritis potest percipi ,) rem ipsam dat , ipsam dat essentialiam , ipsam ὑπόστασιν operatur : qua de re pluribus ago in altera meæ disputationis de Orthodoxia editione , nunc sub prælo sudante : Ita enim placuit Bibliopolæ meas Disputationes Positivo Polemicas in unum colligere fasciculum & nundinis instantibus venales exponere. *Ex Litteris Aldorfii prid. Cal. Jun. 1702. datis.*

## VI.

Idem ad eundem.

I. **T**Andem , Vir summe Reverende , Tuas accepi literas multis nominibus mihi gratas.  
Fateor

Fateor me nescivisse , quod mea scripta Te usque adeo offenderint , ut etiam alienior a me , ob suspicionem Heterodoxiæ , sis factus : Si tamen scivissem , ne quidem illa Tua , Vir Excell. in me lata durior sententia , me potuisset offendere , qui satis scio , quanta vis sit præconceptarum opinionum , quas sub cœlestis veritatis titulo , a Majoribus nostris & honoratioribus Ecclesiæ membris , sine accuratiore nostro examine , cum lacte materno hausimus , earundemque defensionì potius , quam seriæ discussioni sumus assuefacti & innutriti. Hanc vim satis superque sentiunt in hunc usque diem Judæi , Pontificii & tandem quis non ? modo ne sit frigidus suæ , quam profitetur Religionis alumnus. Egomet ipse ante aliquot lustra Saulum potius quam Paulum egi in Scholarum nostrarum ; maxime vero b. D. Musæi , Beieri- que sententiis defendendis : Multos immoderatus tractavi & calamo & ore , quos videram non orthodoxe h. e. non ad Magistrorum nostrorum placita sentire. In quo morbi genere proinde ipse decubui , in eo tanto facilius novi ferre alios laborantes. Nihil scripsi animo exacerbato , quod ego quidem sciam ; sed volui tantum vindicare Simplicitatem vere Christianam , Scripturæque S. auctoritatem defendere normativam , quam Scholastici nostri Theologi , magisque adhuc illi , quæ Jura Episcopalia hodie passim tanta severitate in suis Consiliis Aulico-Ecclesiasticis extollunt , ut proxime a papali Spiritu absint , non leviter violare mihi videbantur. Neque multi magni Viri meum illum conatum improbarunt : quin potius mei defensionem publicam in se jam suscepit Theologus Berolinensis celeberrimus D. *Joachimus Lan-*

*gius* ,

gins; in germanico opere, cujus Tomos per  
 nundinas edit contra Censores Saxonicos in den  
 unschuldigen Nachrichten. Ego interim lubens  
 quemque suo sensui & conscientiae relinquo, mo-  
 do ne a fide, qua Patri, Filio & Spiritui S. se-  
 cundum Scripturarum divinarum tenorem adstri-  
 cti sumus, recedere praesumat. Hac norma qui  
 diligenter utitur, unctionem accepit, quae qui-  
 dem non reddit Papas infallibiles; praestat tamen  
 fideles ab erroribus gravioribus immunes, & licet  
 non simul & semel omnia praesudicia discutiat,  
 indies tamen magis mentes nostras perficit, & er-  
 rores, quos olim veritates credidimus, sic dete-  
 git, ut illos deponamus, aliisque facem praefe-  
 rendo, ad ejusdem veritatis divinam investigatio-  
 nem utiles esse possimus. Haec est illa divina  
 methodus, qua nostri Majores, cum jugum cu-  
 riae Romanae Sophistarumque Scholasticorum ex-  
 cuterent, primitus profecerant, ut illustre illud  
 Veritatis testimonium, quod Augustana Confessio  
 continet, darent. Conceptus de fidei dogmati-  
 bus in illa Confessione admodum simplices sunt,  
 parumque artis, sed multum Spiritus lucisque di-  
 vine habent. Hinc etiam solus hic liber meruit  
 ex divina providentia in Comitibus recipi, & in  
 omnibus Transactionibus Imperii Rom. religiosis,  
 fundamenti loco substerni. Reliqui libri Symbo-  
 lici in Camera Imp. & Comitibus, quando quaesti-  
 ones de Religione Protestantium moventur, non  
 attenduntur, sed pro apocryphis, ut ita dicam,  
 habentur. Quid? ne quidem Confessio Aug. est  
 instar normae, sed tantum per modum simplicis  
 Confessionis recepta, & tandem ejus litera (non  
 autem Facultatum Theologicarum vel Ministerio-

rum explicationes & commentarii, sed sola litera A. C.) per Pacem Religiosam, quam dicunt, confirmata. De cætero meam mentem & sensum pleniorē, ut spero, intelliges ex meis Institutionibus Pastoralibus, quarum exemplar mitto. Audio libenter amicos monentes. Si quid vel Tua summe rever. Dignitas, vel celeb. Collega Tuus, D. Treunerus inveneritis, de quo putetis me esse monendum, ne mihi invidetis vestra monita. Fortassis frequentior amicitiae usus ad oculum demonstrabit, penitus in meum genium penetrasse optimum Tuum Filium, cujus &c.  
*Ex Literis d. 24. Febr. 1708. exaratis.*

2. Illustriss. Comitem a Silberkranz ad vos etiam feliciter appulisse, gaudeo. Quæ de Decreto Norico narravit, certo sensu vera sunt. Urgetur *Subscriptio*: sed quem in finem? Mandata Magistratum subscriptione subditorum non habent opus. Sufficit sola promulgatio. Sed in hac re conscientias tangente *Subscriptio* urgetur, non ut Magistratui præstetur honos, sed ut ex Decreto Magistratus per ipsam *Subscriptionem* novus procudatur Liber Symbolicus, seu nova Norma, quæ non per nudam promulgationem, sed per modum transactionis atque initi contractus stringat, & quidem non tantum eos, qui sive libere, sive vi metuve adacti jam subscribunt, verum quoque omnes posthac in territorio Norico Sacra publica tractaturos. Atrox facinus, cujus venenum penetrantissimum pauci penetrant. Ego autem ut persistet Libertas Evangelica, etiam in illa cui nunc inservio, Ecclesia, malo durissima quæque pati, quam in hunc plus quam pa-



palem procedendi modum conspirando , Spiritui Politico - Scholastico vel in momentum cedere , qui obiter subintroeundo , nostram suis Principiis prode conatur libertatem , quam habemus in Christo Jesu , quo nos in Servitutum redigat humanam , neminique liceat ex Scripturis divinis uberiores capere profectus , quam illorum ferunt consilia , qui nunc sese pro infallibilibus Scripturarum interpretibus Ecclesiæ obtrudunt , dominantumque & in illorum , qui hodie vivunt , & in posterorum conscientias , ambitiose affectant. Hæc ad formalia illius Decreti , Subscriptionem nostram muniendi , si Christo placet. In materialibus etiam nonnulla desiderari possent. &c. *Ex iisdem Literis.*



NOVA